

Sanctorum Animæ, & recipi se cupit Populus Fidelis. Quei igitur Burnetus *Sinum Abrabæ* in insomni sui ædificium trahit, quasi per has voces Carcer ille designatus fuerit, in quem dormitantes coniecit Iustorum simulque & Injustorum Animas? Habemus veteres variis nominibus usos, ad designandum Beatitudinis locum, quem adiere jam Sancti, & quem Ecclesia precibus & sacrificiis precabatur olim, & adhuc precatur a Deo illis, qui in pace Ecclesiæ e vivis decedunt. Quod & confirmatum videas in altera vetustissima Liturgia, quæ Sancto Marco tribuitur, ubi Sacerdos pro Defunctis orat, inquires: *Horum omnium Animabus dona Requiem, Dominator Domine Deus noster, in Sanctis Tabernaculis Tuis, in Regno Tuo, largiens eis promissionum tuarum bona, quæ Oculus non vidit, & Auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti, Deus, diligentibus nomen tuum. Eorum, inquam, Animabus dona Requiem, easque Regno Cælorum dignare.* Idem quoque antiquissimum Ecclesiæ Romanæ Sacramentarium significat, quum Deum deprecamur, *ut omnibus in Christo quiescentibus Locum Refrigerii, Lucis, & Pacis indulgeat; atque ut nobis peccatoribus partem aliquam & societatem donare dignetur cum Sanctis Apostolis & Martyribus &c. intra quorum nos consortium veniæ largitor admittat.* Quem antiquissimum Ecclesiæ Catholice ritum Chrysostomus commemorat Homil. XLII. in prima ad Corinth. xv. & Sermone III. in cap. I. ad Philippens. & Sanctus Augustinus pluribus commendat ac tuetur in Lib. de Cura pro Mortuis habenda, capit. iv. Possent quoque paria delibare ex vetustissimis Sacramentariis Gallicano & Gothico. Sed hæc missa facio, ista concludurus Sancti Cyrilli Hierosolymitani verbis, qui in Catechesi Mistagog. v. testatus est, fieri mentionem etiam eorum, qui ante nos dormierunt, *primo Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras. Deinde pro Defunctis, Sanctis Patribus & Episcopis.* Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita sancti sunt, maximum esse credentes Animarum iucamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi Sacrificii. Quare & suo calamo, & credulitate Lectorum abutitur Burnetus, quum pro Patriarchis, Apostolis, & Martyribus intercessisse apud Deum preces Ecclesiæ venditat. Atque interim nos tenemus, non alibi querendum esse quam in Cælo *Sinum Abrabæ*, neque Beatitudinem Sanctorum in eo etiam loco desiderari. De *Paradiso* erit infra nobis sermo.

His positis, Sanctum Hilarium rursus adcamus, & quid sit illi *Sinus Abrabæ*, exploremus. Tenebras non raro offendas in figurata, mystica, allegorica Hilarii loquela, cujus perobscuro & salebroso stilo fortasse vix alium parem inter Latinos Patres ostendas. Sunt qui putant, a Sancto Hieronymo scribente. *Hilarii Libros inoffenso decurrat pede*, indicari puritatem doctrine illius. Mihi potius creditur, inani tenebrosa non raro, atque interdum male cohærens & intricata illius oratio, quæ vel peritioribus negotium non leve faceffit. Attamen si